Lichenologische Beiträge von Dr. J. Müller.

XIX.

705. *Pertusariae* species numerosae in sectiones duas sequentes naturales disponendae sunt:

1. *Lecanorastrum* Müll. Arg., discus apotheciorum evolutus lecanorino-apertus. — Hujus sectionis species ascis 1-sporis praeditae a cl. Th. Fries Lich. Arct. p. 116 et Gen. Heterolich. p. 69 sub *Lecanorae* sect. *Pionospora* distinctae fuerunt.

2. *Porophora* Müll. Arg.; genus *Porophora* Meyer Nebenstud. p. 326; *Pertusaria* DC. Flor. franç. II. p. 219; Th. Fries Gen. Heterol. p. 105; lamina epithecio contracto poriformi-aperiens.

Pertusaria a proximo genere *Lecanora* optime in eo recedit quod paraphyses crebrius (s. *Porophora*) aut laxius (s. *Lecanorastrum*) clathratim connexae et membrana sporarum valde stratoso-incrassata; reliqui characteres autem omnes vacillant, sed apothecia tamen saepissime in verrucis thallinis distinctis pauca aut plus minusve numerosa (2—40) sunt, et in speciebus minus numerosis, ubi solemniter solitaria, hinc inde commixtim etiam geminata aut ternata observantur.

Quoad structuram et colorem gonidiorum genus *Pertusaria* cum *Lecanora* congruit.

Sporae omnium specierum simplices et hyalinae sunt, at in paucis europaeis et praesertim exoticis observatur contentus sporarum flavicans v. demum e flavicante olivaceus v. fuscescens v. ex olivaceo nigrescens et sporae tum pro nigrescentibus descriptae fuerunt, sed membrana ipsa incolorata remanet; hae sporae ergo alio titulo coloratae sunt quam in *Rinodinis* et *Buelliis* et differentiam genericam praebere haud possunt.

Structura membranae sporarum praeter strata concentrica saepe offert sculpturam sat elegantem a costis internis intus prominentibus transversis paullo obliquis saepeque laxe anastomosantibus formatam, unde membrana in ambitu sporarum intus profunde crenulata apparet; haec structura non tantum germinationis tempore et pro geminatione tantum existit, etiamsi vulgo nonnisi in sporis bene evolutis clare observanda sit, nam adest in nonnullis exoticis etiam statu juniore, jam longo tempore ante germinationem. Est dein character structuralis specificus et facile observandus, quo species caeterum valde affines

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03549-0270-7

haud raro bene segregantur, at ipse solus nullius est momenti pro dispositione specierum.

Numerum sporarum in quoque asco auctores vulgo maximi fecerunt et simul eum satis variabilem declaraverant, at re vera pro coordinatione specierum, praesertim sectionis *Porophorae*, absolute nihil valet. Sporae enim in eodem thalamio non solum occurrunt 2-nae, 3-nae aut 4-nae, aut 4-nae et 5—8-nae, sed etiam 2—8-nae, et insuper, ubi normaliter solitariae sunt, hinc inde asci juniores rudimentarie 8-spori immixti occurrunt, unde numerus sporarum in asco virtute specifica clare privatus demonstratur. At hae variationes e studio numerosissimorum speciminum non ad libitum ludunt: in quoque specimine puro numerus quisdam normalis, i. e. aliis variationibus longe frequentior v. etiam subconstans adest et pro distinctione varietatum adhibendus est. Tales varietates jam numerosae infra enumerantur et multae aliae hodie nondum stabilitae in posterum absque ullo dubio exspectandae sunt.

Ex hac variatione dein insignis alia pendet de magnitudine sporarum. Longitudo sporarum unius ejusdemque speciei eo major est quo minor evadit numerus sporarum in quoque asco. Sporae binae circiter duplo longiores sunt quam octonae ejusdem speciei et quaternae medium tenent. Ubi dein de magnitudine sporarum agitur, inter species affines, binae cum binis, octonae cum octonis, nec binae cum octonis comparandae sunt. In paucis dein 4-sporis occurrunt sporae valde inaequales in eodem asco, sc. sporae 2 inferiores reliquis dimidio majores aut eas bis v. fere bis aequantes.

Sect. 1. *Lecanorastrum.*

706. *Pertusaria commutata* Müll. Arg., tota planta similis *P. multipunctatae*, sed discus carneus aut rosellus ut in *P. velata*, sporae ut in ambabus comparatis. — A *P. subvaginata* Nyl. vix nisi verrucis nanis, non breviter cylindraceis nec basi distincte constrictis differt. Thallus dein minus albus minusque laevis est quam in *P. velata*, vulgo rimoso-diffractus saepeque plus minusve papilloso-exasperatus, juvenilis vulgo olivaceus, dein magis albescens. — In tropicis late distributa est, praesertim in America callidiore, nunc pro *P. velata* nunc pro *P. multipunctata* habita.

707. *Pertusaria superans* Müll. Arg.; thallus margine subeffusus, tenuis, olivaceo-cinereus, papilloso- et ruguloso-asperulus,

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03549-0271-3

demum rimosus; verrucae evolutae 2—2$^1/_2$ mm. latae, suborbiculares, hemisphaericae, gibboso-inaequales, corticatae, mox decorticatae et discos carneos circ. 8—12 denudatos gerentes; sporae in ascis solitariae, 150—200 μ longae, elongato-ellipsoideae, laeves. — Est quasi *P. multipunctata* obscura, verrucis magnis et polyhymeniis distincta. — Corticola in Brasilia meridionali prope Barbacenam prov. S. Pauli: Glaziou.

708. *Pertusaria ornatula* Müll. Arg., thallus tenuis, olivaceo-virens, continuus et laevis, sed minute subsoredioso-papillulatus, margine linea nigra cinctus; verrucae $^1/_3$—$^1/_2$ mm. latae, thelotremoïdeae, conico-hemisphaericae, basi sensim in thallum dilatato-abeuntes, truncatae, apice decolorato-albidae, sat regulares, discum unicum paullo depressum cinereo-pruinosum continentes; discus mox ascis prominulis et epithecio fusco tectis circ. 8—14 orbicularibus 35—50 μ latis eleganter maculari-ornatus; lamina flavicans, oligotheca; asci 1-spori; sporae 150—200 μ longae, 35—45 μ latae et laeves. — Ex affinitate est *P. mullipunctatae*, sed longe minor, habitu e verrucis *Thelotrema*, disco ornato *Stigmatidium* simulans. — Corticola prope Rio de Janeiro: Glaziou n. 5067.

709. *Pertusaria lacerans* Müll. Arg., thallus tenuis, virescenti-albidus v. cinereo-albidus, continuus, laevis, dein parcius v. crebrius albo-papillosus; verrucae solitariae, hemisphaericae, 1—1$^1/_2$ mm. latae, thallo consimiles, laeves, haud depressae, nec sorediosae, vertice lacero-subdehiscentes et ibidem albo-pulverulentae, demum latius scutellari-apertae, discus sub pulvere albo rosello-carneus, lamina rosella; asci 1-spori; sporae magnae et valde elongatae. — Sporae omnino evolutae non visae, at speçies clare juxta *P. multipunctatam* et *P. velatam* locanda est. — Corticola in Brasilia prope Apiahy: Puiggari n. 2253.

710. *Pertusaria aggregata* Müll. Arg., thallus tenuis, laevis, continuus, demum subrimosus, glaucus v. glauco-albidus, sparsius v. densius valide papillosus; papillae evolutae elato-hemisphaericae, vertice albiores aut niveae; verrucae 3—6-natim aggregatae, e centro fastigiatae, superne paullo divergentes, obconicae, apice truncato demum ecorticatae et albo-pulverulentae, monohymenicae; discus sub pulvere albo rosellus v. carneus; asci 1-spori; sporae circ. 160 μ longae, subduplo longiores quam latae. — Verrucis late obconicis aggregatis basi connatis, quasi e basi ramosis insignita est. Planta pro ma-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03549-0272-9

jore parte sterilis e longinquo quodammodo *P. amaram* et *P. globuliferam* simulat. — Corticola in Brasilia prope Apiahy: Puiggari n. 2676 et 2750.

711. *Pertusaria macloviana* Müll. Arg., thallus obscure cinereus, verrucosus, mox tota superficie in papillas fastigiato-ramosas dense confertas thallum 3—4 mm. crassum simulantes evolutus, papillae superne crassiores, truncatae, steriles graciliores, fertiles $1^1/_3$ mm. latae et apothecium unicum inclusum gerentes, primum poro nigrescente impresso aperientes, dein lecanorino-apertae; discus fusco-nigricans, crasse et obtuse marginatus; sporae in ascis solitariae, circ. 170 μ longae, 55 μ latae. — Planta rarius bene evoluta, in coll. Lechl. pl. ins. Maclovian. sub *Pertusaria rupestris* f. *papillata* vendita fuit. — Ad saxa quartzosa Sinus Port William Sanley: W. Lechler n. 54 (ex hb. Hamp. habeo).

712. *Pertusaria purpurascens* Müll. Arg.; thallus cum verrucis purpurascenti-argillaceus v. -pallidus, verrucoso- et rugoso-inaequalis, rimulosus, margine obscuro cinctus; verrucae in caespites $^1/_2$—$^3/_4$ cm. latos orbiculares dense confertae, globoso-hemisphaericae, obtusae, basi circumscripto-distinctae, partim confluentes $^2/_3$—$^3/_4$ mm. latae, sat regulares, vertice poro punctiformi et dein disculo angusto subanguloso leviter depresso fuscescenti-cinereo aperientes, apertae tenuiter et irregulariter marginatae; asci 2- v. etiam 3-spori; sporae 1-seriales, elongato-ellipsoideae, 110—135 μ longae et 40—45 μ latae, non costulatae. — Quodammodo ad *P. ceuthocarpam* accedit, sed e verrucis demum lecanoroideis et thallo juxta *P. multipunctatam* et *P. commutatam* loçanda est. — Corticola prope Rio de Janeiro: Glaziou (sine no.).

Sect. 2. *Porophora.*

Species hujus sectionis extricatu sat difficiles in series naturales s. stirpes disponere et illas exoticas herbarii mei completius enumerare utile duxi. Quum characteres interiores aut conformes aut eximie vacillantes sint, hae stirpes non nisi characteribus externis, e verrucis et ostiolis desumptis, circumscribi potuerunt, at nihilominus naturales videntur, affines conjungunt, diversas segregant.

§. 1. *Verrucosae.* Verrucae subdepresso-hemisphaericae, valide tuberculato-verruçosae, tuberculao stiolis multo validiora. —

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03549-0273-4

In aliis seriebus etiam hinc inde verrucae apotheciigerae verrucosae occurrunt, sed minutius aut ostiola ipsa mamillari-elevata sunt.

713. *Pertusaria subcoronata* Müll. Arg.; thallus cum verrucis cinereo-albidus, continuus, laevis, demum crebre verrucosus; verrucae fructigerae creberrimae, totae $1^1/_2$ mm. latae, valde nanae, monocarpicae, late fuscidulo-uniostiolatae, circa ostiolum verrucis 4—7 albidis hemisphaericis rotundatis circ. $^1/_4$ mm. latis et ostiolum longe superantibus coronatae; sporae in ascis 8-nae, biserialis, oblongatae, 68—78 μ longae et circ. 23—28 μ latae, intus laeves. — Species singularis. — Corticola ad Apiahy in Brasilia meridionali: Puiggari (sine no.).

Pertusaria ochrotheliza Nyl. in Prodr. Nov. Gran. p. 38; sporae demum costulatae. — In Nova Granata (unde non vidi), prope Rio de Janeiro: Glaziou n. 5065 pr. p. et sine no., et prope Apiahy: Puiggari n. 1044, 1250.

714. *Pertusaria Quassiae* Nyl. Enum. gen. p. 117 et in Prodr. Nov. Gran. p. 37; *Porina Quassiae* Fée Ess. p. 81 et Suppl. p. 72; thallus (e specim. orig.) e cinereo demum fuscescenti-argillaceus, rugoso-asperus v. verrucis nanis subdiffluentibus inaequalis, demum diffractus; verrucae approximatae, nano-hemisphaericae, undique verrucis alte hemisphaericis majusculis inaequalibus laevibus aut gibbosis subtectae aut circa ostiolum fusculum demumque latiusculum coronatae; sporae in ascis 1-seriales, evolutae saepissime 4-nae v. hinc inde 3—1-nae, 70—105 μ longae, 30—35 μ latae, intus mox fulvescentes v. fuscescenti-hyalinae, intus laeves. — Ad cortices Quassiae (v. ex hb. Féeano), ad Rio de Janeiro: Glaziou (sine no.), in Guyana gallica (specim. ex hb. Nyl. proveniens) et in insula Cuba: C. Wright II. 170.

715. *Pertusaria verrucosa* Montg. Cent. 3 p. 78; Nyl. Lich. Husn. p. 13; *Trypethelium verrucosum* Fée Ess. p. 66 t. 18 fig. 3; *Porina verrucosa* ejusd. Suppl. p. 73. — E specim. orig. ad *P. Quassiae* habitu et characteribus accedit at diversa thallo tenui, magis albido, subcrebre et minute prominenter subsoredioso-verrucoso, verrucis vulgo more thalli verrucigeris, ostiolis nigris parvis, sporis in ascis normaliter 6-nis hinc inde 7—8-nae aut 4—5-nae et praesertim sporis intus valide costulatis. — In corticibus officin. (v. specim. orig.), in cortice Chinae (ex hb. Hampeano) et in insula Guadeloupe: Husnot n. 497.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03549-0274-0

§. 2. *Glomeratae.* Verrucae subglobosae, turgidae, basi constrictae, vertice ostiolo uno (rarius duobus) demum impresso praeditae.

Pertusaria glomerata β octomela Norm. Spec. loc. p. 365; Th. Fries Scand. p. 315. Sporae 5—6—8-nae, laeves. — In Grönlandia ad terram muscosam (ex hb. Hamp.).

§. 3. *Pertusae.* Verrucae subglobosae, turgidae, basi constrictae, plus minusve gibboso-torquato-inaequales, sparse impresso-ostiolatae.

a. *Flavescentes,* sc. thallo et verrucis distincte flavescentibus praeditae.

Pertusaria Wulfenii DC. Flor. fr. 2 p. 320; sporae laeves, 2-seriales, octonae; corticola in insula Mauritii: Robillard.

b. *Albidae,* sc. thallo albido v. leviter flavescenti-albido praeditae.

Pertusaria communis DC. Fl. fr. 2 p. 320, sporae binae, intus valide costatae. — Saxicola ad Grand Manan in America sept.: H. Willey.

716. *Pertusaria propinqua* Müll. Arg.; thallus cinereus, crassiusculus, rugoso-inaequalis; verrucae fructigerae subglobosae, basi constrictae, simplices et compositae, ruguloso- et subgibboso-inaequales, 1—7-ostiolatae; ostiola nigricantia, depressa, sparsa et hinc inde pauca aggregata et plus minusve confluentia; asci (4—6—)8-spori; sporae superne irregulariter biseriales, circ. 80—90 μ longae et 36—43 μ latae, intus laeves. — Similis *P. communi,* sed sporae intus laeves et in ascis bene evolutis magis numerosae; sporis hinc inde in ascis quaternis ad formam vulgarem *P. leioplacae* quodammodo accedit, at differt forma elata verrucarum et ostiolis impressis. Ostiola subinde etiam ad illa *P. Wulfenii* accedunt, sed planta non est flavescens. A proxima *P. consanguinea* demum differt omnibus partibus majoribus, sporis non uniserialibus et habitu minus rudi. — Ad saxa granitica prope New Bedford in America sept.: cl. H. Willey.

717. *Pertusaria consanguinea* Müll. Arg., thallus cum verrucis cinereus, diffracto-areolatus v. disperso-glebosus, rigidulus; glebulae subangulosae; verrucae fructigerae irregulares, anguloso-hemisphaericae, v. confluendo-irregulares, basi constrictae, demum vertice irregulariter depressulae; ostiola nigra, sparsa aut in depressione laevi vulgo confluentia et maculiformia; sporae in ascis octonae, uniseriales, 65—75 μ longae et 25—30 μ

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03549-0275-6

latae, intus laeves. — Prima fronte nonnihil europaeam *P. Wulfenii* simulat, sed tota definite cinerea, nec flavicans, et verrucae apice minus depressae sunt. — Saxicola prope Apiahy in Brasilia meridionali: Puiggari.

718. *Pertusaria rudecta* Müll. Arg.; thallus cinereus, crassiusculus, non zonato-limitatus, diffracto-areolatus, areolae acute angulosae et acute gibboso- v. papilloso-inaequales vulgoque nigro-conspurcatae; verrucae circ. $1^1/_2$ mm. latae, hemisphaericae, basi constrictae, superne gibboso- et undulato-inaequales et plicato-subrugosae, caeterum laeves, cum thallo concolores, pluri-ostiolatae; ostiola sparsa et hinc inde in centro conferta, subinde confluentia, nigra, non emergentia nec impressa; sporae in ascis 4-nae, 1-seriales et laeves, circ. 75 μ longae et 37 μ latae. — Ob verrucas basi constrictas turgidas et superne undulatim depresso-inaequales ad seriem *Pertusarum* referenda est, etiamsi ostiola ipsa non depressa. — Ad saxa arenacea prope Faxina in Brasiliae montibus Morro de Itambé: Puiggari n. 1470.

(Fortsetzung folgt.)

Personalnachricht.

Am 23. April d. J. starb zu Randegg der als Lichenologe bekannte Dr. Poetsch, früher Stiftsarzt zu Kremsmünster, im 63. Lebensjahre.

Anzeige.

Eine Arnold'sche Pilz-Sammlung
Lieferung 1—22
billigst zu verkaufen. Offerten an die Expedition dieses Blattes zu richten.

☞ Hierbei ein Prospectus der Kummer'schen Verlagsbuchhandlung in Leipzig: **Rabenhorst's Kryptogamenflora.**

Redacteur: Dr. **Singer.** Druck der F. Neubauer'schen Buchdruckerei (**F. Huber**) in Regensburg.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03549-0276-2

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1884

Band/Volume: 67

Autor(en)/Author(s): Müller J.

Artikel/Article: Lichenologische Beiträge 268-274